



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Ægidivs Conf. 1. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S E P T E M B E R.

S. ÆGIDIUS CONF.

i. Septembris.

Stemma in ÆGIDIO regium indoles munifica prodidit. Nam puer pratexam exiit, ut pauperem ægrum indueret. Et hic quidē morbum cum centonibus posuit, at ille nudus cætera, ut virtutē & miraculum saltem tegeret, ablatam sibi vestem à nescio quo non satis noto homine piè commentus est. Eodem scilicet furto assem omnem paternum abstulerunt egeni, quando Gallias ÆGIDIUS petiit, & post multa prodigia easdem cum cervâ latebras habitavit. Atque, ut qui matrem deseritis, alia cælo ubera esse sciat, hæc famelico eadem cervâ præbuit. Exclamare hîc Roma potuisset: ecce fera hominis hospes, ecce homo feræ asylon. Etenim cum nutricem frequens venatorum corona cingeret, tutelam finum ÆGIDII & preces habuit, quibus ad teli jactum damnati canes allatrare prædam potuerunt, non prehendere. Ipse Rex Clodoveus libertatem cervæ, ÆGIDIO fortuitâ sagittâ tunc vulnerato cœnobium, cœnobio dotem regiam donavit, sibi unam erroris veniam oravit. Et verò non hujus

H h 4 modo

modò sed gravioris etiam sceleris impetravit, quod quidem studiosè ille occultavit, sed ÆGIDIUS sub divinis scheda annotatum è cælo accepit, nunquam delendum, nisi stylum Rex vertisset. Divus porrò noster satis jam à terrâ lactatus ad perennes beatitatis fontes contendit, quos adeò appetivisse quid mirum est? à nutrice suâ cervâ fictim hanc bibit. Ex *Lippeloo & Pet. de Natal.*

S. ANTONINVS M. 2. Septemb.

POTerat ANTONINVS è Galliis oriundus forte suâ contentus nobilem & in digitis anulum & in pedibus lunulam jactare, sed nimium quantum ambitiosus purpuram insuper ausus est sperare, quam ut cælum illi lubentius pingeret, non dubitavit, ostro deficiente, sanguinem promittere. Incredibile enim dictu est, quam inde à puero pro Christo hunc fundere gestierit. Et verò non passus repulsam est, æternâ præsertim virginitate candidatus: sed sacerdotio initiatus cum baculi ictu populis ad Christiana sacra adductis undas dedisset, ipse altero, sed gladii, ictu promissum diu cruorem dedit, utque hic copiosior flueret, corpus in partes sectum, partes in aquas sparsa. Sed præclarum ostrum, martyris inquâ sanguis omnis in undis officiosus coivit, ipsæ undæ ut

ne